



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||**

**Ignacio <de Loyola>**

**Mogvntiae, 1600**

**VD16 I 56**

De tempore triplici ad electiones faciendas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45165**

**Q**uartum : quod si quis debito modo & ordine, absque carnali mundoque affectu quippiam elegit, quod mutari possit, non est cur violet electionem talem, sed potius, ut in ea magis ac magis proficiat, ad niti debet.

**N**otandum autem est, quod si elec-  
tio rerum huiusmodi mutabi-  
lium, non ita recte, atq; sincere pro-  
cesserit : eam expedit corrigere, ut  
fructus vberior, & Deo gratior pro-  
duci possit.

**D E T E M P O R E T R I P L I-**  
*ci, ad electiones recte faciendas.*  
*magis opportuno.*

**T**empus primum erit: quando vo-  
luntatem diuina virtus sic impel-  
lit, ut omnis dubitatio : imo etiam  
dubitandi facultas animæ sublata sit,  
quo minus sequatur impulsione in  
talem: sicut legimus beato Paulo, &

Matthæo, & aliis nonnullis, vocante  
CHRISTO, accidisse.

**S**ecundum est; quoties satis clarum  
compertumque sit beneplacitum  
diuinum; docente id aliquo consol-  
ationum, desolationum, vel diuerso-  
rum spirituum prœvio experimento.

**T**ertiū est: quando per animi  
tranquillitatem, aliquis, consider-  
ato fine, ad quem conditus est (ad  
DEI gloriam scilicet & salutē suam)  
eligit certum vitæ genus intra Ec-  
clesiæ catholicæ limites cōstitutum,  
per quod ceu medium, commodius  
securiusque ad suum finem tendat.

Porro tranquillitas ea tunc nosci-  
tur adesse, quotiescunq; anima nullis  
agitata variis spiritibus, vires natura-  
les suas libere exercet. Itaq; nisi pri-  
mi, vel secundi temporis beneficio,  
electio contingat, supereft ad ter-  
tium recursus; duobus modis se-  
quentibus distinctum.

MO-